

14
AMICITIÆ SAC.

Jon. Ze 6787

REVERENDO
ET CLARIS:
V. IOANNI STREITBERGERO

VARISCO, SACRAR: LITERAR: CON-
SULTISS: ECCLESiarVM in Marchionatu

superiore terræ Variscorum præcipuo Inspectori. Cum
ei TT. Doctoris in SAC: THEOL: decerne-

retur IHENAE A. D. V. ID.

FEBRV: A. orb: redem:

CD. ID. LXXIV.

Benevolentia & Memoria perpet:

ERGO

HOC MON: ET PIGNVS P: LI: MER:

AN: ELLING: D.

H. M. D. M. A.



EX OFFICINA TYPOG:

Matthæi Pfeilschmidt.

M. D. LXXIII.



Vdieram docilis venturum in

castra Salanae,

*Quem pietate grauem & meritis gens fida
Variscum*

*Suspicit, ut summi peteres insignia honoris,
Te Reuerende sacrorum Antistes STREITA
BERGERE.*

*Cum mihi mens subito capit tremere ista pauore
Letitiæq; simul perfundi, & stringere pectus
Dulcis imago tui MEDLERE Theologe, cuius
Didita terrarum longè latèq; per orbem
Gloria linqvit humum penna fugiente, uigetq;
Innumerabilibus canescens gloria seclis
Virtutisq; decus. Neq; enim, licet omnia pessima
Ire uetustatis uideas labefactaq; telo
Deminui: potis unq; aboleri splendida fama
Nicolei magni & meritum, lapsasq; iuuandi
Res studiorum, & opem ingenijs & mite ferendi
Auxilium indefessus amor: monumenta uigebunt
Clara uiri: donec metuentes æquore tingi
Oceani pulcri radiabunt ætheris ignes
Verticem ad Arctoum positi. Mihi testis ad amnem
Cerulei Neopyrga Salaæ quæ condita, CHRISTO
Nunc quoq; amica larem seruat, doctasq; sorores
Ambit, STEINHOFIO simul aduigilante Medlerus
Gymnasium erexit, cui non certauerit ullum
De genere hoc: quamuis Plateano insignis olorum
Campus, teq; suum iactet Friberga Magistrum
Ri VI docte, boni laudent, uicturaq; de te
Carmina discipuli pangant, Venusini ad Horatii
Artem FABRICIVS, cultis elegisq; SIBERVS.*

A ij

Nec,

Nec, mihi si quis amor, studiumq; in pectore feruet
 Castalij nemoris, si quid profecimus unquam,
 Non uni refero acceptum tibi docte MEDLERE:
 Quo didici praeunte, tener Musarum & alumnus
 Balba tuis auctore admoui fontibus ora
 Phæbe, sacros titubante pedum numeroq; sonoq;
 Hymnos institui componere, & indole uersus
 Ad similem palmam æquales accendere cæpi.
 Nec magis ulla mihi arrisit tot euntibus annis
 Doctrinæ pars, fortè in eadem & consenuisse
 Gaudebam, nisi Apollinæ palma altera laudis
 Currentem abstraxisset, & abdita pandere rerum
 Suasisset naturæ, inimicis febribus ecquæ
 Causse? Cur trepidis quatiant algoribus artus
 Visceraq; æthneis ueluti fornacibus urant,
 Quæ uia, quis modus auertendi hæc seua pericla,
 Incolumem & seruare statum, reuocare labantem
 Quæ ratio possit sapientis dicta secundum
 Hippocratis, Claudiiq; disertis, Arabumq; Auicennæ
 Primi, quæ didicisse olim laus magna: ualere
 Cum rectè mallent, quàm uiuere conflictantes
 Cum morbis homines: prior est nunc nullus auaris
 Thesaurus terris defosso auro atq; argento,
 Et nisi cui stipata gemit locupletibus arca
 Nummis haud magni sit quisquàm. Non tibi tale
 Ingenium MEDLERE, procul, procul ille cupido
 Sordidus, & fatui studium execrabile uulgi,
 Nobilior benè de multis tibi cura mereri
 Et contemnere opes, cultisq; educere in hortis
 Lulorum plantas, quas olim Ecclesia CHRISTI
 Vere prægnantes foetu sibi sumeret, harum
 Fulciretq; domus sæuis agitata procellis
 Tecta suæ, trabibus benè firmis atq; columnis.

Hæc

¶ Hæc reminiscentem iucunde anteaacta tricenog
 Fermè annos allapsa meas uox fertur ad aures
 Digressum ripa Mœni qua præterit arcem
 BLASSEBURGA tuam, radices propter & huius
 Mœnia CVLMBACHIÏ priscis habitata Variscis
 Hûc uolucris STREITBERGERVM contendere curru,
 MARCHIO quem sancti proles lectissima patris
 ARIS PRAEPOSUIT CAPVT, haud fulgente tiara
 Insignem curuoq; bacillo, ut triste Lupercal
 Quos Anomi raso summittit uertice Papæ,
 Sed uerbo cætus moderantem, quod tua cælo
 Protulit, æterni gremio diffudit & haustum
 Mente patris genite pietas CHRISTE, inclitus ipse
 Quòd constante professus pectore & ore GEORGIVS
 Marchio diuino cum Saxone, Cæsare coram
 Imperijq; sacri ordinibus, cum AVGVSTA foueret
 Germanos proceres, sancti floremq; Senatus.
 Ergò his ominibus subeuntem limina IHENAE
 Prosequor, O mihi non oculis per Olympiadas sex
 Vise ferè, tandem mihi copia facta uidendi
 Præceptor uenerande tui, tandem has tibi sedes,
 Hæc placuit loca adire, ubi frustra Tyrigetum, Orpheus
 Pectora uti Thracum, studuit mollire canendo
 STIGELIVS noster: durant uestigia priscæ
 Gentis & à Thyra Thuringos amne profectos
 Vera nimis fama est, ut opinor: collibus istis
 Nescio quis genius tamen & qui Musicus horror
 Spirans corda trahit: Te Musis semper amicum
 Bacche ferunt: Satyris ludentibus est ubi Phœbi
 Se Chorus adiungat, plexisq; Salana corollis
 Impediat caput & sparsos sine lege capillos.

A. ij

Ingredero

Ingredere o felix, nobisq; uolentibus aufer
 Velleris aurati tanq; decus, alter Iason
 Puppis Christiadium rector: tibi laurea dudum hæc
 Parta, tuis uiden' ut gauisus honoribus æther
 Nubila per purum immisis detergeat Euris
 Rorantes niuium candenti uellere mutans
 Vdæ hyemis pluuias, constanti et opaca sereno.
 Nempe dies aderat, qua Templi limina scandens
 Confessu in medio summi fastigia honoris
 Demeteres, ardensq; rubro tibi pileus ostro
 Cesariem premeret, uenerandis sparsaq; canis
 Tempora iam bene maturo, patriæq; bonisq;
 Omnibus egregie studiumq; operæq; laborem
 Qui Templisq; Scholisq; docendo uera probasses
 Lustra per annorum iam plurima: testis egeret
 Nullius ut uirtus per te testata prolixè
 Munificèq; satis tua. Laudo pro hæresin istam
 Consilij et specimen. Quis enim sine Marte triumphus
 Quæ poterit gestis sine magnis gloria rebus
 Esse? Ea laus demum uera est, ea præmia fulgent
 Quæ spectata diu multum explorataq; uirtus
 Consensu tribuente bonorum haud ferre recusat.
 Sic debellatis terraq; mariq; Quiritum
 Scipiades ductor Pœnis, Cilicumq; cateruis
 Oppressis, uasto Magnusq; oriente subacto
 Egerunt niueos celsa ad capitolia currus.
 Sic (tua ut attingam) postq; Cydnelus Heros
 Magnam Asiæ partem clara et Agenore natæ
 Percurrisset ouans urbes, bene multaq; uerbo
 Corda subigisset, tandem Tyberina petiuit
 Hostia, terrarum Domina sibi Martyr in urbe
 Præmia militiæ stillantem sanguine laurum

Quæsiturus

Quæsiturus, honos quo non illustrior extat :
Quippe stolis lauisse hominem morientis in agni
Damnosi uerè senij expers palma cruore.

¶ Te decorant nostræ commertia fida Salanæ,
Tu decus huic contrà es, quod non generosior alter
In campum uisus te descendisse petitor :
En tibi festa parat, Sed festa Scolastica uirgo
Februa cui lux dena sacra est, pulcerrimus unus
Hic fulsisse dies tibi uisus, cum FRIDERICI
Principis ipse comes lateri uenerabilis hærens
Egrederère sacra GVILIELMI Saxonis ædes
Quo præsentè tuo cumulus non paruus honori
Accessit, lectoq; Ducis præsentè Senatu.

¶ Sed neq; natorum, quæ patri summa uoluptas,
Quiq; triumphantum mos, pompa lumen abesse
Dulce tuorum, optati et fructum carpere gaudiū
Quos inter crescens occulto Laurus ut æuo,
AVRELIi fama haud obscura sui documenta
Præbet, cui pectus, cui suadæ tincta medullæ
Fandi copia, cui pronas accommodat aures
Densum humeris uulgus, cum Rhetor dulcia fundit
Verba uerecundè, cunctis mirantibus. Eugè
Indole macte uir egregia, et felicibus ausis,
Et iam nunc patrij spe præcipe culmen honoris
Palladiæ aspirans iucunda ad præmia palmæ.

¶ At tu sorte tua gaude Clarissime Doctor,
Gaude perpetui titulo præsignis honoris,
Teq; bonis auibus grandæuo redde parenti,
Redde tuæ patriæ, dulci te redde tuorum

Colloquio

Colloquio, & caræ complexu uxoris, & illi,
Quæ reducem expectat Variscum Ecclesia, festo
Te excipere & plausu meditatur, & altera donis
Addere dona, omnesq; effundere amoris habenas.

¶ His longum frueri, ô Decus, ô qua Pinifer Atlæ
Quatuor in diuersa meantum fontibus ora
Fluuiorum referat, terrarum gloria Princeps,
Et bene de populo tibi commisso usq; merendo
Famamq; augendo, longæ uita tempora uitæ
Inuidia procul et mœroris uulnere acerbo
Exige perpetua securus prosperitate.

¶ Tu uerò AVRELI stadio qui uictor eodem
Quo genitor, dudum decurris, fac tibi certas
Post hyemes itidem, flauentem hæc laurea crinem
Hoc insigne premat, uolo te noctesq; diesq;
Verberet, hæc cura & studij laudabilis ardor,
Hanc ipsam ut properes alacer decerpere palmam.
NAMQ; VE' superstibus genitore et auo tibi pulcrâ
Altera ferre domum spolia, & geminare triumphos.

FINIS ▶



PRECATIO IO

ANNIS STREITBERGERI DOCTO-
ris in itinere Ihenensi composita.



V MIHI CHRISTE PATER, TV

Frater, deniq; amicus,

Tu mihi Patronus, tu meos Vita, Salus.

Pectore me fido scio quod complecteris unius,

Nil moror alterius stetue cadatue fide.

Affertor, uindex, opifer, defensor & ultor,

Tu meus es, tu me destituisse nequis.

Si mare me rapidum seuis absorbeat undis,

In uasto impavidus gurgite uiuo tibi.

Si me flamma uorax, si torridus ignis adurat,

Aestum restinguit Sanguinis unda tui.

Si mihi terra locum, sedem si deneget aether

In tua me condo uulnera tutus ero.

AMEN.



A iij. linea 13. pro genite, lege geniti.



Nobile uincendi genus est PATIENTIA, uincit
Qui patitur, si uis uincere, disce pati.

CVRIAE VARISCORVM

Pfeilschmidt imprimebat.

1574.

Gott loben, Soß ist die allerhöchste
Weisheit und wir sie erachtet die
Liebet sie, Das er ist die weise große
Mund ist sie ist die süß die süß
ist die weisheit anfang und ist in
die geist all in die geist
Die süß die süß ist die süß
gottes die süß die süß
Waldstein

1763.







Fi 3889 $\frac{b}{2}$


ULB Halle 3
004 517 873



5b







Farbkarte #13

B.I.G.

14

Tom. Ze 6787

AMICITIÆ SAC.
REVERENDO
ET CLARIS:
V. IOANNI STREITBERGERO

VARISCO, SACRAR: LITERAR: CON-
SULTISS: ECCLESIARVM in Marchionatu
superiore terræ Variscorum præcipuo Inspectori. Cum
ei TT. Doctoris in SAC: THEOL: decerne-
retur IHENAE A. D. V. ID.
FEBRV: A. orb: redem:
CID. ID. LXXIV.

Benevolentia & Memoria perpet:
ERGO

HOC MON: ET PIGNVS P: LI: MER:
AN: ELLING: D.
H. M. D. M. A.



EX OFFICINA TYPOG:
Matthai Pfeilschmidt.
M. D. LXXIII.

